

¶ Omnes circulos secundi Instrumenti  
cognoscere.

**P** R I M V S & maximus circulus ipsius cum duobus spacijs & margine interposito, dicitur argumentum Lunæ. Secundus dicitur circulus punctorum Ecclipsis Lunæ extensus usq; ad 21 puncta. Tertius, qui sequitur secundum, uersus centrum cum spacio & margine dicitur circulus minorum tropici Lunæ extensus usq; ad 63 minuta, & 36 secunda. Deinde sequitur tropicus Lunæ cum reliquis quatuor circulis, quorum primus dicitur longitudo longior tropici Lunæ. Secundus sibi eccentricus æquator distantiae Lunæ ad terram, tertius æquator umbræ, quartus æquator minorum casus & moræ. Diameter uero pertingens usq; ad extremum circulum tropici Lunæ, diuisus in 63 partes, & 36 secunda, uocatur linea minorum, casus & moræ. Lineæ uero ab illa linea minorum ductæ, per totum spacium usq; ad circulum extremum tropici Lunæ. Et lineæ orthogoneæ eum secantes, dicuntur minuta casus in linea minorum casus, & moræ.

Lineæ uero transuersaliter per totum spacium in tropicum Lunæ ductæ æquidistantes lineæ minorum casus & moræ, dicuntur latitudines Lunæ in tropico Lunæ, ut supra in figura &c.

**FINIS TOTIVS ÆQVATORII**  
Astronomici Ioannis Schoneri  
Mathematici Norici,